

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XCVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XCVI.

Gratiam & pacem per Christum.

J. Erast.
QUæ venenosa vipera, Ceraſtes ille, cum ſuis furiis, Joanne Sylvano & Joſie Laſio, contra te effuderit, legimus, Reverende vir, & amice colende. Non eſt dubium, hos à cæteris Sacramentariis ideo contra te ſubornatos & emiſſos eſſe, ut tali tam atroci criminatione abſterreant cordatos & modeſtos viros, ſi videant, ſibi verum nihil, calumniarum autem multa plauſtra expectanda eſſe ab hominibus etiam profanis, ut nihil dicam de horrendis blaſphemis, quarum recordatione pius animus expaveſcit. Nec tamen ideo veritatis patrocinium omittendum erit, ſed excelſo animo devoranda omnia, ut maneat nobis ſalva doctrina filii DEI, quam in Eccleſia veſtra ſingulari quodam artificio tentat Sylvanus convellere, homo, ut videretur, Simonii artibus inſtructiſſimus; Dominus illorum furorem reprimat, Tibi vero tribuat robur corporis & animi, ut ſtabili atque inconcuſſa virtute, contra omnes incurſus atque impetus oblatrantium fluctuum, quaſi petra, immobilis & invicta obſiſtas & perduus. Quod filio meo in tranſmittenda pecuniola gratificatus es, tibi reverenter gratias ago. Idem officium ſi nunc quoque flagitaverit peti literas, ut illi præſtes, vehementer oro. Polliceor tibi viciliſſim officia mea. Chriſtus te gubernet, Amen. Ex Brunſvigâ, 8. Decemb. anno 1565.

T.

Joachimus Mörlin.

XCVII.

SCJUS in literis tuis, Vir clariffime & mihi in Domino honorande frater, non niſi triſtiſſima fit mentio, ejus in principio literarum mearum memmiſſe par eſt. Conciones tuas de Aſcenſione Chriſti in cælum & ſeſſione ad dexteram DEI Patris in ſummis meis occupationibus avidiſſime perlegi, ſed dici non poteſt, quanto gaudio & voluptate animi. Video enim Spiritum Sanctum triſtiſſimis hiſce temporibus noſtros animos arctiſſime conjunxiſſe, in veræ pietatis & ſyncerioris Doctrinæ aſſertione. Hoc unum non modo dico, ſed hac eadem horâ D. Brentio ſcripſi, me nihil vidiffe hætenus ab omnibus profeſſum Eccleſiis, quod nobis tam ſanctam concordiam polliceatur, noſtræque Doctrinæ conſentiat, quam ſit hoc tuum ſcriptum. Quapropter non tam operam tuam & collegarum conſenſum pium, quam etiam magiſtratus veſtri, ſtudium & voluntatem commendo, qui ſua quoque authoritate hoc ipſum in lucem prodire voluit; Nec metuit vel cauſæ vel